

SCRIPTA

Numéro Scripta : 4524

Auteur(s) : Nogua, veuve du chevalier Jacques de « Castro Gyron » [particulier]

Bénéficiaire(s) : Poilley, Notre-Dame de Montmorel (abbaye, abbé)

Genre d'acte : charte

Authenticité : non suspect

Datation : 1264, juillet

Action juridique : donation

Langue du texte : latin

Analyse

Nogua, veuve de Jacques de « Castro Gyron », chevalier, donne en perpétuelle aumône à l'abbaye et aux chanoines de Notre-Dame de Montmorel une rente annuelle de Paluel.

Tableau de la tradition

Éditions principales

- a. Dubosc François, *Cartulaire de la Manche*, abbaye de la Luzerne, abbaye de Mont-Morel, prieuré de la Perrine, Saint-Lô, Jacqueline fils (Archives départementales de la Manche), 1878, Mont-Morel, n° CCIII, p. 202-203.

Texte établi d'après a

Universis presentem cartam inspecturis vel audituris domina Nogua, relicta domini Jacobi de Castro Gyron, militis, defuncti, salutem in Domino. Noverit universitas vestra quod ego Nogua, in viduitate mea, dono, elemosino et concedo in puram et perpetuam elemosinam abbatie Beate Marie de Monte Morelli et canonicis ibidem Deo servientibus sex chabocellos frumenti, ad mensuram de Paluello, et sex solidos Turonensium, seu usualis monete, ad Natale Domini anni redditus, ad pictancias dictorum canoniconum persolvendos, pro salute anime mee et antecessorum meorum, videlicet super sex virgatis terre sitis apud Paluel, quos habebam et percipiebam annuatim cum Michaele Groingnart super predictis sex virgatis terre et loco ubi est domus in qua manet, pro anniversario meo, dum evenerit, post obitum meum annuatim faciendo. Volo etiam et concedo quod abbas Montis Morelli seu canonici ejusdem loci habeant et percipient in elemosinam, pro salute anime mee, cum predicto Michaele et heredibus ejus, con predictis sex chabocellis frumenti et sex solidis Turonensium, post decessum meum, tres chabocellos frumenti et tres solidos Turonensium et etiam omne illud quod michi aut heredibus meis, jure hereditario, pertinere potest, poterat et debet ac debebat cum dicto Michaele et heredibus suis, con hommagii, redevanciis, servitiis, fesantiis et obedientiis que michi aut heredibus meis a dicto Michaele et heredibus suis fieri dinoscabantur. Omnia autem predicta volo et concedo ut predicti canonici habeant et possideant, sine reclamacione, contradictione et impedimento mei vel heredum meorum seu alicujus alterius, ratione nostri. Hanc autem donationem et elemosinationem ego predicta Nogua, in viduitate mea, et heredes mei jam dictis canoniconis omnia presenti scripto inserta bona fide tenemur garantizare et deffendere contra omnes vel etiam excambiare apud Paluel, in propria hereditate nostra, valore ad valorem, et etiam pro predicto redditu in dictis tenementis et hereditate suam plenariam justiciam poterunt facere secularem. Actum et datum est hoc anno Domini M° CC° sexagesimo quarto, mense julii.